

hoc mundo ad æternas illas in cœlo sedes proficiscimur, sed ordinasse simul & instituisse sacrum verbi sui Ministerium, hunc ipsum in finem, ut illud verbum suum proponeret, tractaret, interpretaretur, à falsis glossis defenderet, deduceretque postremo ad praxin. Dedit enim *Christus*, in cœlos ascendens, *alios quidem Apostolos, alios vero Propbetas, alios autem Evangelistas, alios Pastores & doctores, ad compactionem sanctorum, ad opus Ministerii, ad edificationem corporis Christi.* Donec perveniamus nos omnes in unitatem fidei & agnitionis filii DEI, in virum adultum ad mensuram plene statura Christi. Ut ne simus amplius pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrina, in versutia hominum, qui per astutiam suam sese componunt, ut fallant, sed sincere nos gerentes in charitate prorsus adolescamus in eum, qui est caput, nempe *Christus*. Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes commissuras, secundum donum, quod datum est in mensura unicuique membro ad incrementum ipsius corporis, ut per charitatem perficiatur ædificium ejus. Eph. IV. II. seqq. Non ergo solam Sacrarum literarum lectionem sufficere ad perfectionem corporis Christi, i. e. Ecclesiæ, omniumque in ea fidelium censuit divina sapientia, sed Ministerium verbi, ἔργον διακονίας addidit, ut per prædicationem verbi primo colligamus credentes in unum cœtum, qui est ὁ κατὰ τὸ πνεῦμα τῶν ἁγίων & τὸ σῶμα τῆς Χριστοῦ, perfecta coalitio sanctorum & ipsum corpus Christi, deinde, ut hic cœtus ædificetur, i. e. singula ejus membra ad unitatem fidei & agnitionis Filii DEI salutaris adducantur, ut nec in veritate fluctuent amplius, nec in charitate deficient, sed ad summum, qua in hac infirmitate fieri potest, veri Christianismi fastigium evalescant. Hos tantos effectus palam est,